



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum Communem Hostem Christianorum

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. II. Obligatio ad Bellum Sacrum, omnibus Christianis communis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

rabilium aggregatione perfectissimi,
nullus erit finis.

§. II.

*Obligatio ad Bellum Sacrum, omnibus
Christianis communis.*

EX ordinatione, & fine Belli Sacri, ab ipso Christo indicti, contra Dei veri inimicos: certissimum manet, omnes omnino Christianos, id est, Christi JESU milites, sub Divino illo Imperatore, & constituto, per ipsum Vicario suo in terris, vocatos, ad Bellum Sacrum; teneri militare militiam bonam, unumquemque in suo ordine: quæ enim à Deo sunt ordinata sunt, per media convenientia, ad finem perfectum; ad Divinam gloriam, & vitam æternam, electorum in Christo JESU; propter quos omnia operatus est Deus optimus, maximus, omnipotens, unus, trinus. Cùm ergo Ecclesia militans sit à Deo, sicut castrorum acies ordinata; non una eademque est singulorum qui Ecclesiam componunt fidelium obli-

P

gatio, sed diversa in diversis. Vidimus in hac prima parte Belli Sacri Pontificem maximum, cum sit totius Ecclesiæ militantis caput unicum visibile; & universalis Christi in terris Vicarius, atque omnium omninò Christianorum Pater communis, maximam habere obligationem ad Bellum Sacrum; & hanc curam esse velut hereditariam Romanorum Pontificum: qui omnes Christianos, ubique in terris degentes suas esse oves, vel suos agnos cognoscunt, & verò constat ex dictis, quam egregiè, quam paterno affectu, quanta sollicitudine omnium Ecclesiarum, huic suo muneri, coram Deo, & hominibus satisfacere, modis omnibus conati sint, omnes Pontifices maximi in tempore opportuno, ad illud opus intenti. Totus Christianus orbis testis est, quanto zelo Innocentius XI. quem Deus singulari suâ providentiâ his temporibus, Ecclesiam suam regere voluit; in hoc arduum opus, totis viribus impensè incumbat; omnes Reges, & Principes Christianos, per Christi viscera, ad auxilium ferendum orando, obsecran-

do, atque obtestando. Omnes Christi fideles per universale Jubilæum adhortando; & ipsemet Ecclesiasticum Ærarium, in sumptus Belli Sacri, exhauriendo: utinam omnes Principes tam Ecclesiastici, quàm sæculares, tanti Pastoris exempla imitentur, & paterna monita; atque adhortationes citius exaudiant, sicut tenentur. Dixi & iterum affirmo: sicut tenentur, cum enim Deus exercituum, dederit illis gladium suum corporale, id est, potestatem Regalem; non ad destructionem, sed ad ædificationem totius Ecclesiæ suæ militantis; certum est illos in conscientia teneri, præcipuè, tanquam potentiores, Deo servire, & ejus Ecclesiæ periclitanti succurrere; sicut Reges & Principes Christianos, & Catholicos decet. Cum enim sint præcipua & præcellentia Ecclesiæ membra, illam juvare debent bonis, armis, & viribus suis, sicut fecerunt primi illi Heroës Christiani, quorum elogia audivimus, & quorum memoria in benedictione est apud omnes: illorum autem gloriosissima Nomina scripta sunt in libro vitæ. Si qua ergo consolatio

in Christo JESU; si quod solatium
 charitatis universalis, & Christianis
 Regibus ac Principibus dignæ; si qua
 Societas Catholica in ipso Verbo In-
 carnato Deo-Homine, omnium ho-
 minum, maximè fidelium Salvatore,
 qui in se uno omnes electos colligit ut
 illos secum Deo, uni, trino, in re-
 gnum æternum offerat; si qua viscera
 misericordiæ Regalis secundum E-
 vangeliū legis gratiæ, & Regis glo-
 riæ ejusdem Christi JESU: quem om-
 nes Christiani adorare debent in Spi-
 ritu Sancti amoris & veritate fidei Or-
 thodoxæ: Impleant magni illi Reges,
 & potentes magna sua nomina, & il-
 lustres titulos; æmulentur Majorum
 suorum gloriosissima exempla: & no-
 vis factis magnanimis, totum impleant
 orbem: ut sciānt gentes, quia Deus
 omnipotens, est Deus Christianorum
 & non est alius: sic impleant gaudium
 Regis Regum Christi JESU: à quo
 abundantioribus gratiæ suæ, & glo-
 riæ bonis cumulabuntur in perpetuas
 Æternitates.

Quis mihi dabit, ut hæc Christiani
 animi sentia, desideria, vota, impri-

mam, augeam, perficiam in cordibus
 omnium Regum, & Principum: qui
 hoc Nomine Christiano præ omnibus
 titulis gloriantur? ipsos omnes testes
 & judices, etiam in propriâ causa esse
 non renuo; justum de se ipsis iudicium
 ferant. Quid potest Nomini illorum
 gloriosius, familiæ suæ utilius, popu-
 lorum suorum saluti desiderabilius, &
 Deo, cujus sunt visibiles in terris ima-
 gines, esse acceptius? igitur ab om-
 nium Domino, supra omnium capita
 exaltati, nihil ducant, inter Regii ani-
 mi ornamenta, præclarius, zelo ma-
 joris gloriæ Sanctissimæ Triadis, dila-
 tationis regni Christi J E S U, propaga-
 tionis Ecclesiæ Sanctæ, & optimæ
 Matris omnium fidelium; zelo Divi-
 ni honoris, & justitiæ ac charitatis
 Christianæ: in hoc serviant magni Re-
 ges Deo maximo, quod non possunt
 facere nisi Reges magni. Nihil possunt
 ad absolutam Nominis sui laudem, &
 gloriæ coronam, atque ad omnium qui
 illos verè diligunt, & honorant, ut
 præcellentes in omnibus, perfectam
 lætitiâ in terris agere efficacius; nec
 sibi in Cœlo majora conservatæ, pro-

pugnatae, & propugnatae, Religionis trophæa statuere, & stabilire, ad perpetuam ipsorum felicitatem: in sinu Beatissimæ, & Augustissimæ Triadis consequendam.

Nihil ergo diligentius cavendum Regibus & Principibus Christianis: quam ne tantæ gloriæ coronam à Deo optimo illis nunc oblatam, sibi è manibus eripi sinant à quolibet, & cujuscumque boni temporalis, aut commodi specie, vel spe vana; quæ summi boni quo se ipsos privarent, comparatione, nihil est nisi fumus, & umbra: cogitationes enim hominum timidæ, non possunt veram Christianorum Regum, & Principum gloriam & felicitatem, ne quidem in tempore stabilire, ne dum in Æternitate. Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, qui habitat in Coelis; irridebit eos, & Dominus subsannabit eos; non est sapientia, non est potentia, non est consilium contra Dominum, qui dissipavit omnia consilia Achitophel, ut eriperet virum secundum cor suum, de manibus persecutorum illum iniquè: ille idem manens semper vigi-

lat in salutem eorum; qui fidem, & fiduciam suam in illius singulari auxilio, & in bonitate, ac justitiâ causæ suæ fixam & stabilitam habent. Sic Deus omnipotens, dissipabit, destruet callida & iniqua consilia dicentium tenebras lucem, & lucem tenebras. Deponet potentes de Sede, & exaltabit humiles corde; qui spem suam nunquam mutant ab eo. Qui Divinæ ejus gloriæ, Ecclesiæ militantis bono, & publicæ orbis Christiani salutem omnia sua privata commoda, litant, dicant, & sacrificant; hi sunt heroës Christiani, Reges Æternitatis, heredes Dei, coheredes Regis gloriæ Christi JESU, cujus regni non erit finis.

Quod dictum est hic de obligatione communi omnibus Regibus & Principibus Christianis & Catholicis, extendendum est ad omnes Principes qui se Christianos dicunt: cum igitur etiam Principes accatholici, & Ætherodoxi, qui ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ miserè, per prædecessorum suorum schisma avulsi sunt: nihilominus se in fide Christi stabiles esse protestentur: procul dubio tenentur etiam jun-

gere arma sua armis Principum Catholicorum, in hoc Bello Sacro; quod probatur, imò demonstratur tribus his argumentis.

Prima ratio est, quia profitentur se verè esse Christianos, renatos in Christo; secundùm formam Baptismi à Christo instituti. Ergo tenentur in communi totius Christianitatis periculo, contra sævissimum, potentissimum, & communem hostem Christianorum conjungere arma nobiscum in causa communi: qui enim non conatur viriliter hostem communem, totis viribus Ecclesiam Christianam, oppugnantem, vi repellere, si Christianus est; gravissimè peccat, in Christum, in Ecclesiam, & in animam suam; & est reus omnium malorum, quæ potuerat, & debebat avertere, ex propria professione.

Secundò: Protestantes Principes, & omnes illis adhærentes, propalam prædicant, se esse à Deo, & Christo, electos, ut Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reformatores; & quamvis non sit illorum reformare Romanam Ecclesiam, & confirmare in fide, & San-

Etis moribus Christi in terris Vicarium, à quo sunt omnes confirmandi: secundùm Christi oraculum, cæterum operibus impleant, quod tam magnificis verbis promittunt: totis ergo viribus, armis, opibus usque ad sanguinis, pro gloriâ Christi profusionem, communem Christiani Nominis hostem, undique aggrediantur. Sibi veram gloriam propagatorum fidei comparent, potentissimum Ecclesiæ Christianæ & Catholicæ inimicum conterendo, jungant sese armis, Christianissimi & Catholici Imperatoris pro gloria Crucis, Christi; & sperent à Deo optimo gratiam, qua errorem suum agnoscentes, redeant ad Gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; à qua per summum scelus avulsi sunt.

Tertiò: Nisi jungant se armis Catholicorum in hoc Bello Sacro, contra communem omnium Christianorum hostem; timere debent, ne Deus ipsos justo suo judicio tradat in manus inimicorum suorum: & qui se ab obedientiâ summi Christi Vicarii, scandaloso schismate, & manifesta rebellionem separaverunt; tandem sicut Græ-

eis schismaticis accidit sub infami Ma-
 hometis tyrannide gementes, ulti-
 mam suam ruinam, perpetuis & ama-
 rissimis, sed seris lacrymis defleant:
 non solum ob ignominiosam corpo-
 rum servitutem, sed cum æternâ
 animarum suarum, in Christi Sangu-
 ine renatarum pernicie & damnatione.
 Ut ergo avertat Deus, ab illis, sum-
 mum illud malum: juvent armis, &
 opibus suis, Christianorum Impera-
 torem, in hoc Bello Sacro, contra
 communem hostem Christiani Nomi-
 nis; & serio apud se cogitent quàm
 utilius, gloriosius, & jucundius futu-
 rum sit iis, qui Christiano gloriantur
 Nomine, se Christi Vicario, & Chri-
 stianissimo, Justo & Pio Imperatori,
 conjunctis animis, & in communem
 hostem armare, quàm perpetuæ ser-
 vitutis periculo, summo Christi ini-
 mico, se & suam posteritatem expo-
 nere. Certè non possum in animum
 inducere, ullum esse inter Principes
 protestantes, qui non mallet in Ro-
 manâ Ecclesiâ, ejus Sacramentis mu-
 nitus, mori; quàm in Mahometi nefa-
 riâ sectâ circumcissus, animam efflare:

si bene, & secundum rei veritatem ju-
 dicavi: Quare ergo illis magis Turca
 quam Papa placet, ut protestati sunt
 primi ex illis, qui se ab Ecclesiâ Ro-
 manâ separaverunt? cur non potius
 totis viribus juvent Christianissimum
 Imperatorem, & summum Christi in
 terris Vicarium; quam Antichristi
 præcursores nefarium? Ipsorum fi-
 dem, & conscientiam appello in judi-
 cium: vel me, vel antecessores suos
 reprobent? illos enim facilius excuso,
 quos salvare desiderio desidero. Ego
 enim Ecclesiæ Romanæ Sacerdos,
 quotidie, in Altari Deo, uni, trino,
 Agnum Immaculatum J E S U M-
 C H R I S T U M; quem Sanctus An-
 dræas Apostolus, se omnipotenti Deo
 quotidie obtulisse testatus est, in holo-
 caustum sacrificio; pro meis, & pro
 totius mundi peccatis. Specialiter au-
 tem pro conversione Principum prote-
 stantium; ut tandem ad sinum opti-
 mæ Matris redeant: pro quorum con-
 versione, vellem ex animo totum san-
 guinem effundere. Non facilè adduce-
 rer, ut credam ipsorum ministros ta-
 lem Deo, uni, trino, pro me, & pro

Principibus & Sacerdotibus Ecclesiæ Romanæ, oblationem, singulis diebus, in eodem spiritu facere. Exaudiat Deus vota, quæ suis inspirat, & oculos illorum illuminet, ac corda conterat, ne obdormiant in erroribus & peccatis suis. Addo unum, quod fortassis à multis hujus mundi sapientibus irridebitur, ut stolidæ simplicitatis propositio. Dicam tamen opportunè, aut importunè, vel ut impertinens, vel ut pertinens ad finem intentum. Si aberro à scopo, saltem quod dicam verum puto; & protestantes alloquens, etiam protestor, coram Deo veritatis, me velle dicere, quod verum judico. Utinam Deus omnipotens dives in omnes qui invocant eum, dedisset mihi, omnium Sacerdotum minimo, & pauperrimo, trecentos aureos milliones annuos, cum obligatione divinâ, ne obolum quidem, ex illis Thesauris in proprios meos, aut meorum usus convertendi: vultis scire ô Principes protestantes, quid ex immensis illis Thesauris vellem facere? dicam ingenuè sinceritate Germanicâ, Principibus Germanis loquendo, & quidem coram

Deo veritatis, ecce non mentior, trifariam dividerem, ingentes illos Thefauros; trecentorum millionum annui census, videlicet primum centenarium millionum aureorum, expenderem in Bellum Sacrum, contra communem hostem Christiani Nominis, abundanter suppeditando necessaria, omnibus Ducibus, & militibus sub Crucis vexillo præliantibus.

Secundum centenarium millionum, applicarem in reparationem ac constructionem Templorum, Cœnobiorum, Ecclesiasticorum reddituum: quibus hæretici, infideles, Turcæ, & alii inimici Crucis Christi, Ecclesiam spoliaverunt, per summum sacrilegium. Et ex eodem reditu, Christi pauperibus præsertim honestis & occultis, necessaria præberem: Missionarios Apostolicos ab omni cura temporalium rerum liberarem, & omnia ad victum, & vestitum requisita, eis abundanter subministrando, illos expeditos redderem, ut sine impedimento, & hospitem onere, Evangelium Christi prædicarent in universo mundo.

Tertium centenarium millionum ;
 dividerem inter Principes terræ , eâ
 lege , ut subditos suos minus onera-
 rent , mitius & benignius regerent ;
 ac ipsi serîo quotidie mane , sicut fa-
 ciebat Rex secundùm cor Dei , co-
 gitarent se esse mortales , & omnes
 Reges , Principes ac potentes , post
 paucos dies regni temporalis , manife-
 standos esse ante tribunal Regis Re-
 gum justissimi judicis ; qui justitias ju-
 dicabit , & sine acceptione personarum
 reddet unicuique secundùm opera
 ejus. Nullum proindè esse posse effu-
 gium , nihilque prodesse homini uni-
 versum mundum lucrari , animæ verò
 suæ æternum detrimentum pati , si-
 cut Christus Rex Regum , & Judex
 omnium omnibus dixit. Ecce in quos
 usus trecentos illos annuos milliones
 aureorum expendere vellet , minimus
 Sacerdotum maximi Sacerdotis Dei
JESU-CHRISTI ; utinam illius Re-
 gale effatum , in omnium Regum ter-
 ræ cordibus , & Principum Ecclesiæ
 Dei vivi impressum , & altâ mente repo-
 situm permaneret , quoniam ipse dixit :
Beatius est magis dare , quàm accipere.

O Verbum Regale! Verbum Eucharisticum! Verbum Theandricum! Verbum JESU-logum! Verbum Divinum! Verbum Verbi Dei, spirantis amorem Sanctum, Spiritum Deum purum Donum: quoniam omne datum, omne bonum de sursum est; descendens à Deo optimo, Patre omnium hominum; qui ergo habet perfectius Donum Doni, ille Deo omnium bonorum donatori, largitori, liberalissimo dispensatori, magnificentissimo in sanctitate, similior est: quia Verbum Dei JESU, quod semper habebat in ore suo, loquente ex abundantia cordis optimi, manet in æternum. Ipse dixit: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Quod dixit, plenissime fecit, qui prius cœpit facere, quam docere, bene omnia fecit; qui erat pertransiens benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. Istius maligni spiritus, proprius character, est maxima bona hominibus auferre, rapere, nulli benefacere, omnibus nocere, perdere omnes, circuire sicut Leo rugiens, quærens quem devoret; perpetuum Bellum in Sanctos,

ac Christianos movere; ut per cruentas corporum mortes animarum Christi Sanguine Redemptarum lucretur. Perniciem, ideo ab initio militantis Ecclesiæ inflammavit corda tyrannorum, contra Christianos, qui à tot sæculis persecuti sunt, illo instigatore, omnes qui volunt in Christo **JESU** piè vivere. Quis non videat Turcorum Imperatorem, qui se magnum Dominum & Regem Regum superbè jactat, magnum esse instrumentum Principis mundi hujus in maligno positi? Ecce magnus ille præcursor Antichristi, à tot sæculis, Christi Ecclesiam totis viribus oppugnat; ecce sævissimus hostis Christiani Nominis in penetrabilibus, militantis Ecclesiæ solium erexit; quot Imperia, quot regna, quot urbes Christianis eripuit, in quibus supra ruinas Templorum Dei vivi, profana fana falsi sui Prophetæ erexit: toti orbi Christiano inhiat, insatiabilis illa inferni bellua: quid superest nisi ut quod reliquum est absorbeat? quid ad hæc Proceres Catholici? quid expectamus fideles Ecclesiæ Dei Filii? quid hæremus? quid stamus?
quid

quid cunctamur Christiani? quid agimus? aut potius, quid agere non debemus? si verè Christiano Nomine gloriamur? nec in vanum Cruce Christi signati sumus? nunquid magis placet nobis Mahometismus, quam Christianismus, si crudelissimum Christiani Nominis persecutorem, ab urbibus & regnis Christi non repellimus? an magis Turca placet quam Papa? & cornutam Mahometismi lunam Soli justitiæ Christo JESU præferimus, & super Crucem exaltamus? an volumus hunc præcursores Antichristi, excusso Christi, & Ecclesiæ Catholice suavi jugo, regnare super nos, imò opprimere nos, & tot facere Mahometanos, quot captivos faciet Christianos? nunc mysterium iniquitatis operatur, in mundo malignus ille; sed non est expectanda in otio desidioso, ultima Ecclesiæ militantis desolatio, donec de medio fiat: & reveletur in suo tempore homo ille peccati, filius perditionis, præcellens ille iniquus, ultimus Dux Impiorum; quem Dominus noster JESUS-CHRISTUS interficiet spiritu oris sui, & corusca-

Q

tione adventus sui gloriosi.

Omnes igitur verè Christiani Reges, Principes: tam Ecclesiastici quam sæculares; & omnes omninò, ac singuli qui Christiano Nomine gloriantur, ac sunt milites Christi; ad Bellum Sacrum vocantur ab Ecclesiâ militante, à Christi in terris Vicario, ab ipso Rege Regum Christo JESU: ut sub Crucis vexillo, militent militiam bonam, contra inimicos Nominis Christiani, quorum finis interitus. Rogamus autem vos, inquit, Apostolus JESU, per adventum Domini nostri JESU-CHRISTI, ut auferatis malum de medio vestri: pro Christo legatione fungimur, Deo; exhortante per nos, reconciliamini Deo non sint in vobis schismata, & contentiones, diligite invicem, sicut Christus dilexit nos, nemini reddentes malum pro malo, sed vincite in bono malum. Hæc est charitas Christiana: sic Christus dilexit nos. Exemplum & præceptum dedit nobis ut diligamus invicem, sicut & ipse dilexit nos: qui non diligit Deum super omnia & proximum in Deo, sicut seipsum, manet in morte æterna, à qua liberet nos Deus.